UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Honestate Canonicorvm, Et Aliorvm Ecclesiasticorvm Specvlvm

Langhe-Cruys, Johan

Duaci, 1587

D. Basilij animaduersiones aduersus Canonicos delinquentes constitutæ. cap.xxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63733

Visual Library

aliorum virium imbecillitates ſpiritualiter ſuſtineant: virgam verò, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant.

Quales erga delinquentes alij cõfratres ſe gerere debeant.

Delinquentibus intereà, & excommunicatis fratribus, nequaquam debent cæteri fratres, aut eos ſuis adulationibus decipere, aut eorum mala defendere, ſed potius opem ferre, vt æquitatis cenſura diſtrictè corrigantur.

D. Baſilij animaduerſiones aduerſus Canonicos delinquentes conſtitutæ. CAP. XXVII.

Canonici olim pſalmos memoriæ mandare debebant.

SI quis integra corporis valetudine orationi vacare, aut pſalmos memoriæ mandare neglexerit, prætexens excuſationes in peccatis, hic à reliquorum conſortio ſegregator, aut hebdomadã vnam ieiunato.

Cõtra correptionem nõ admittentem pœna.

Si quis de errato aliquo adhibita charitate corripitur, & correptionem non admittat, ſumma cum ſollicitudine obſecrans, ac propter ea, quæ deliquit ignoſci ſibi poſtulans, hic quoque hebdomadam vnam à reliquorum ſocietate excluditor.

Negligẽtis fraternè corripere pœna.

Si quis alicuius alicui peccati conſcius fuerit, neque illum correxerit, aut pacificè, & adhibita Christiana charitate corripuerit, ſed cum perturbatione animi, ſaluti fratrẽ potius triũphans, qua cauſam morbi ſanare ſtudẽs; hic quoq. vna cũ eo, qui de peccato caſtigatur, hebdomadas duas à reliquorum conſortio abdicator, gitor, quia vt inimicus; non autem vt frater corripuit.

Confratri inobediẽtis pœna.

Si quis quæ facere poſſit à fratre iuſſus contumeliose, aut contumaciter gerat, neque adhibita conti, quæ eſt in Chriſto, lætitia, obtemperet, tanquam qui confidens in ſuo abundet ſenſu ſimiliter hebdomadam vnam ſegregator.

Iurantis pœna.

Si quis præter etiam & non, iuſiurandum addet, & ipſe hebdomadam vnam ſegregator.

Vaniloqui pœna.

Si quis futiliter garriat, aut in ſermone facetias ſectetur, neque adhibito timore, ac tremore doctrinam B. Apoſtoli & euangeliorum conſeruet, nihilominus hic etiam hebdomadam vnam ſegregator.

Delictum confratris primũ diſſimulãtis et poſtea exprobrantis pœna.

Si quis fratri alicui peccati alicuius conſcius fuerit, & id diſſimulauerit, poſtea autem exprobrauerit, ſaluti traducendi cauſa; ſimiliter hic quoq. tanquam alterius

alterius minimè indoleſcens, & qui inſultans delecte-tur potius, à reliquorũ conſortio hebdomadam vnam ſegregator.

Si quis alicuius alicui peccati cõſcius ſit, & illum negligenter ferre animaduertat, ac non adhibita cordis contritione, multisq. lachrymis Deum ſibi propitium facere hortetur, & admoneat ipſum, vt pœniteat, & opera pœnitentiæ digna præ ſe ferat. Si autem his ita ſeruatis, nihilominus tamen ille ſalutem ſuam negligat: qui eiuſmodi eſt, is ex conuentu prorſus exterminator. Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit.

Non admonentis confratrem de peccato ſibi conſcio facere pœnitentiam pœna.

Si quis, præterquam vbi neceſſarij vſus poſtulent, extra egrediatur, ac temerè diuagetur, qui huiuſmodi eſt, ſegregator, vt quieſcant domi pedes eius, ſicut ſcriptum eſt.

Clauſtrum exeuntis et diuagantis pœna.

Si quis temerè iracundia elatus fuerit, ac non actutum fratrem rogauerit, quem offenderit, vt peccatum ſibi, quod in ipſum peccauerit condonet, h[illegible] ſimiliter hebdomadam etiam vnam ſegregator.

Iracũdi & reconciliari negligẽtis pœna.

Si quis contumelia aliqua à fratre affectus fuerit, & à conuentu rogatus, peccatum non condonauerit, memoria tenens eum, qu[illegible]it: Si quis aduerſus aliquem habet querelam; ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos: Et hic ſimiliter à cæterorum conſortio hebdomadam vnam ſegregator.

Contumeliã ſibi factam ignoſcere nolentis pœna.

Et idẽ Baſilius alibi [a]: Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur; ſed eorũ coniunctio omnino diuellatur. Hoc enim & eccleſiæ ad ſecuritatem eſt vtile, & non dabit hæreticis aduerſus nos anſam, quod propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.

a in epiſt. ad Amphylo.

Canonicorum fornicatio pro matrimonio reputari non poteſt.

Vnde ruſus idem ad Gregorium presbyterum ſcribens, vt ſeparetur à muliercula, cũ qua habitabat: Legi, inquit, literas tuas cum omni patientia, & longanimitate, & miratus ſum, quomodo cùm poſſes per res ipſas nobis breuiter, & facilè reſpondere, in iis quidem, quorum accuſaris, perſiſtere malueris; prolixa autem oratione, quæ ſunt immedicabilia, curare volueris. Nec primi, nec ſoli, ô Gregori, ſtatuimus, ne mulieres cum clericis cohabitarent. Sed lege canonem

Baſilius quoq. nõ permiſit, vt mulieres cum clericis habitarent.

qui à ſanctis patribus noſtris Nicææ editus eſt, qui aperte prohibet, ne ſint introductitiæ. In hoc autem ſitum eſt cælibatus decus, & honeſtas, quod ſeparatus ſit à conſuetudine, & conſortio mulierum. Si quis enim verbo profitens, reuera ea faciat, quæ qui cum mulieribus cohabitant, apertè oſtendit, ſe virginitatis quidem laudem nomine tantum proſequi, ſed à turpi voluptate non recedere. Tãto magis ergo oportebat te noſtræ poſtulationi facilè acquieſcere. Quod dicis te ab omni corporali perturbatione liberum. Neque enim credimus eum, qui ſeptuaginta annos natus eſt, cum muliere animi perturbatione commotũ habitare, nec tanquam propter turpem aliquam actionem, quæ facta fuerit, ſtatuimus ea quæ ſtatuimus: ſed quia ab Apoſtolo docti ſumus [a] fratri non eſſe ponendum offendiculum vel ſcandalum. Scimus autem quod id, quod ſanè, & recte fit ab aliquibus, erit aliis occaſio ad peccatum. Ideo cauſa decreuimus ſanctorum patrum conſtitutiones ſequentes, vt à muliere ſepareris. Quid ergo Chorepiſcopum incuſas, & veteris ſimultatis recordaris? Quid autem nos inſimulas, quod aures ad admittendas calumnias faciles præbeamus; non autem te ipſum, qui à conſuetudine cum muliere non potes recedere? Eiice eam à domo tua, & ſtatue ipſam in monaſterio: ſit illa cum virginibus, & viri tibi ſeruiant, ne nomen Dei per vos blaſphemetur. Quamdiu hæc feceris, Myriades, quas ſcribis in epiſtolis nihil tibi proderunt. Sed otioſus morieris, Deoque reddes rationẽ tuorum. Sin autem non correctus auſus fueris ſacerdotium apprehendere, eris toti populo anathema; & qui te ſuſceperint, erunt in omni eccleſia abdicati.

Honeſtas cęlibatus clericorũ in quo cõſiſtat.

Presbyter 70. annorum ancillam propter ſcandalum habere olim non potuit.

a 2. Corint. 6.

Porrò cuiuſmodi mẽte irrogatas ſibi aliquis animaduerſiones debeat accipere, eleganter quoque idem Baſilius docet [b]: Quemadmodum enim, inquit, vacuum affectibus Antiſtitem ad curationes ægris admouendas accedere oportet; ita quoque viciſſim eorum, quibus medicina fit, partes exiſtimari debent, Antiſtitis animaduerſiones non ad odium accipere, neque impotentem dominationem exiſtimare curationem eam, quam miſericordia quis adductus conſulendi animæ

Quomodo accipiendæ ſint animaduerſiones Superiorũ.

b in lib. regul. ſeu quæſt. ſuſ. diſput. quæſt. 52.

animæ ipſorum ſaluti, ipſis adhibeat. Eſſet enim à decoro abhorrens, ſi, cùm qui aduerſa corporis valetudine laborant, iis vſque adeo magnā medicis ſuis fidem habeant, vt eſto ipſos ſecent, eſto vrant, eſto amariſſimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter bene meritos de ſe illos numerēt: nos non itidem quoque aduerſus animarū noſtrarum medicos, quandocumque duriore imponenda nobis re aliqua ſalutem nobis efficiunt, fuerimus animati; cum Apoſtolus dicat[a]: Et quis eſt, qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me? Et item: Ecce enim hoc ipſum quod contriſtati eſtis, quàm magnam in vobis ſolicitudinem operatum eſt. Proinde rei ſpectari exitus debet, & is bene de nobis meritus iudicari qui nobis contriſtationem illam adferat, quæ eſt ſecundum Deum.

a 2. Cor. 2. cap.

Cæterum ne quis facilè in huiuſcemodi vitium ſecus de Antiſtite iudicandi, aut ſuſpicandi, cum detrimento, cum ſuo, tum reliquorum etiam fratrum incurrat, illud in vniuerſum obſeruari in cōuentu debet, vt nullo modo quis curioſè Antiſtitis conſilia peruestiget, aut in eius facta anxiè inquirat, iis duntaxat exceptis, qui cùm dignitatis gradu, tum conſilij prudentia Antiſtiti ipſi proximi ſint, quos quidē ille neceſſariò ſibi, quandocumque de re aliqua erit deliberaturus, in conſiliū, ac maturam conſiderationē adhibebit; nimirum præcepto illi obtemperans[b]: Omnia fac cum conſilio. Quum enim illi animas noſtras gubernandas commiſimus, tanquam Deo de iis rationem reddituro, prorſus abſurdiſſimè facimus, ſi huic fidem in rebus contemptiſſimis abrogamus; & cùm ipſi falſis aduerſus fratrem noſtrū ſuſpicionibus impleamur, tum reliquos exemplo noſtro, vt idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eueniat, vnuſquiſque maneat in ea vocatione, in qua vocatus eſt; & cùm animum ſuum totum in rerum ad ſe pertinentium cura occupauerit, minimè in aliorum conſiliis inquirendis ſit curioſus, ſed ſacroſanctos Domini diſcipulos imitetur. Quorum eſto illud, quod in euangelio eſt de Samaritana[c], ſuſpicionem ipſis poſſet commouere; Nemo tamen dixit, inquit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea[d]?

Prælatorū conſilia & facta non ſunt à ſubditis anxiè perueſtiganda.

Prælati quorū conſilio ſua facere negotia debeant.

b *Prouerb. 2. Eccle. 32. et 37.*

c *Ioan. 4.*

d *Baſil. in d. lib. Regul. ſeu quæſtio. quæſt. 48.*

Ggg v Verùm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quid faciendũ Canonico, qui Prælati ſui mandata nolit perficere.

Verùm is, qui nolit admittere, quæ Antiſtes perfi-
ciunda iuſſerit, debet ei apertè quidem, ſed ſemotis ar-
bitris, cur dicto audiens eſſe, ac moriger nolit, reſpon-
dere, allata, ſi quam habet, ratione, ſacris literis con-
ſentanea, alioqui quod imperatum ſit ſilentio exequa-
tor. Quodſi hoc facere pudore retractus non auſit, à
quibuſdam ad eam rem ſequeſtribus vtitor, quo videli-
cet, ſi aliena fortè à ſacroſanctis literis illa Antiſtitis
iuſſio ſit, ipſe cùm ſe ipſum, tum reliquos fratres no-
xa eximat. Sin contrà planum factũ ſit eam rectè fide,
ac ratione factam, à vana ſeipſum ac periculoſa ſecum
diſceptatione liberet. Qui enim ſecũ diſceptat, inquit,
ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide, & vt
ne ſimpliciores exemplo ſuo ad abiiciendam obedien-
tiam inſtiget, ac veluti procliuiores efficiat. Expedit e-

a Matth. 18. Mar. 9.

nim, inquit Dominus[a], vt ſuſpendatur mola aſinaria
circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt ſcan-
dalizet vnũ de puſillis his. Quodſi qui diutius in con-

Quid faciendũ illis, qui clàm conqueruntur de ſuis Prælatis.

tumacia hæſerint, aduerſus Antiſtitẽ clàm querulis, ne-
in apertum voluerint ſui mœroris cauſam prodere; ii
perinde ac diſceptationis inter fratres exortæ aucto-
res, aut qui certiſſimam authoritatem colliſerint, la-
befactarint eius, quæ maiorum debetur præceptis obe-
dientiæ, ac velut rebellionis & inobedientiæ magiſtri
prorſus à reliqua fratrũ familia exiguntor. Eiice enim
concilio peſtilentẽ, inquit, & exibit cum eo iurgium[b].

b Prouerb. 22. & idem Baſil. d. lib. regul. ſeu quæſtio. q. 47.

Quid faciendum Canonicis, & alius eccleſiaſticis reformatio-
nem SS. Concilij Tridentini obſeruare nolentibus.

CAP. XXVIII.

SI Dominis Canonicis, veterum benignior, & mi-
tior videatur diſciplina Patrũ, quàm ea, quæ à iure,
& SS. concilio Tridentino contra clericos delin-
quentes præſcribitur, & mãdatur obſeruari, recte fece-
rint, ſi abſque vlla mora ad vitam cõmunem clauſtra-
lem redeant, eiusq́. diſciplinã cum humilitate, & obe-
dientia ſuſcipiant. Verùm ſi neutrã harum velint, ſed
potius diſſolutè adhuc in ſua libertate, & inobedientia,
quàm clauſtraliter, & cõmuniter viuere malint, ſciant
atque maturè perpendant, ac prouideant, niſi diſcipli-
nam, & reformationẽ à SS. Tridentino concilio præ-
ſcri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN